

R. D. Antonij Osprey. ermit.

# DE HVM. PHYSIOGNOMONIA



IO: BAPTISTÆ PORTÆ  
NEAPOLITANI  
DE HVMANA PHYSIOGNOMONIA  
LIBRI III  
AD ALOYSIVM CARD. ESTENSEM.

VICI Aequensis, Apud Iosephum Cacchium. M. D. LXXXVI.



omnia rubore plena habeat. Sed Albertus non aures solum, sed totam faciem rubram habere, & rubicundiorcm frontem cum oculorum demissione verecundiam significare dixit.

## De Naso. Cap. 9.

**N**ASVS in facie sensibilis est, hæc siquidem pars hominem præ cæteris formosum, deformemq; reddit. Estq; in eo varietas maxima, vt non sit alia facierum distinctio, quàm per nasum. Aristoteles animalium libro hæc habet de naso. Pars faciei nasus: cartilagineam partem, quæ nares discriminat, interseptum vocamus, vtrumq; meatum inane. Eius initium est à glabra, interstitium inter supercilia constitutum. Pars ima est vbi nasus delatior in aures se fundit. Adnotandum præterea quandam esse proportionem faciei partium ad totius corporis partes, & sibi inuicem correspondent, aut mensura, aut quantitate, aut signis. Nasus correspondet præputio: nam quibus longus, & crassus; eadem mutonis forma, sic si acutus, vel crassus, vel breuis. Sic narium qualitas respondet testiculis. Nasati apud Lamprydium viriliores, ac belle mutaniati: Vnde paræmia de nasatorum peculio vulgò extritum vtiq; Nasi magnitudine mutonis concipi qualitatem: Is enim in vita Antonini Heliogabali scribit fuisse extremi luxus, ac ne fari.e libidinis. subactarios, vel emissarios innumeros collegit, ac nasutos vocabat, quibus ad libidinem exercendam scelestissimè utebatur.

## Magnus nasus.

**N**ASVS prægrandis probi viri iudicium affert, Polemon. Prægrandis nasus melior, Adamantius. Magnus nasus semper minori melior ex his Albertus.

## Valdè magnus nasus.

**V**ALDE magnus nasus, virum nimis acriter aliena iudicantem notat, cui non nisi sua placent, aliena displicent, irrideatq; omnia. Plinius. Et altior homini tantum quem noui mores subdole irrisioni dicauere nasum. Naribus, inquit Quintilianus, derisus, contemptus, & fastidium significari solet: vnde & qui alios irrident, nasutos vocant, & prouerbio abiit, nasus pro iudicio. Nasum maximum Rhinoceros habet, cornu repando insignem, quare ab eo potius, quàm vllò alio animali ad prouerbialem hunc sensum assumpta est: est enim animal ingenio callidum, alacre, & agile. Martialis.

„ Et pueri nasum rhinocerotis habent.

Eiusdem extat lepidum epigramma de nasuto irrisore

„ Nasus sis vsq; licet, sis deniq; nasus.

„ Quantum voluerit ferre rogatus Atlas.

„ Et possis ipsum tu deridere Latinum

„ Non potes in nugas dicere plura meas.

Persius. ad id.

„ ride, ais, & nimis uncis  
naribus indulges.

Horatius.

„ Naso suspendis adunco.



*Angelus Politianus enormi fuit naso, ob id ingenio aculeato, inuidioq; aliena irridendo, laudando sua, nec à quoquam iudicari pateretur, aliorum famæ detrahendo.*

Valde parvus nasus.

**Q**VI naso valdè paruo fuerit præditus, mutabilis consilij vir accusatur, Polemon. Sed Adamantius minari rapacitatem, & consilij inconstantiam. Interpres Polemonis non satis rectè vertit, nam accusatorem, & delatorem interpretatur, in quo tot errores, quot verba repperies. Albertus. Minor nasus seruilibus ingenijs, furibus, & tergiuersantibus assignatur. Ego ad mulieres referrem.

Rectus nasus.

**R**ECTVS nasus lingue significat intemperantiam. Polemon, & Adamantius, sed in fine libri Polemon, & si mendosus sit codex, ait, Qui recto sunt naso præditi, blaeterones, & referuntur ad mulieres. Albertus non satis sibi constat, utriusque signa, & proprietates confundens, ait enim nasus circa frontem depressus stultitiam, & animi imbecillitatem, & scæmineam leuitatem. Si altè à fronte, rectè ad imum nasi protendatur, ut linea recta descendens à fronte, nasi ronum pertingat in extrema cartilagine loquacitatem notare.

Obliquus nasus.

**I**NTORTVS nasus magna ex parte mentis, & animorum obliquitatem portendit. Polemon, & Adamantius.

Ad faciem nasus discretus.

**N**ASVS ad faciem bene articulatus, vel discretus, probum fortem, ac prudentia virum præditum argumentat. Polemon, & Adamantius. Sed Polemon ad frontem, Adamantius ad faciem habet. Albertus malè vertit. Narium pars iuxta frontem, si à fronte deposita sit, hoc est seiuncta bona compositione, nec alta, nec humili, sed equali linea descendat, constantiam, & prudentiam demonstrat.

Ad faciem nasus malè discretus.

**C**ONTRARJA verò huius forma effæminatum, rudioresq; significat, Polemon, & Adamantius à contrario signo contrarium dijudicant.

Longus nasus ad hoc protensus.

**Q**VI habet nasum longum, protensum ad os, est probus, & audax, ut Aristoteles ad Alexandrum scribens ait. Scribit Suetonius C. Augustum nasum habuisse à summo eminentiorem, ab imo deductiorem, id est depressum, cum prudentem virum, & optimum imperatorem fuisse constet, nec alius intelligi potest, nisi quem modo descripsimus. CUBLAIENUS Scytharum imperator longo, rectoq; ad frontem naso erat, ac ore Augusto, ad arma præstantissimus primus pontificis maiestatis cultor, liberalis, & probus.

Nasus